

iste Zalchart cum suo instrumento ad alium locum, ubi | nuptie erant, fol. 193r
 properaret, interim faber ferrarius socius suus moritur et anima eius in
 via ei occurrit sedens in equo magno et ipsum pacifice salutavit. Zalchart
 nescivit eum esse mortuum, referebat ei gracias eumque quo pergeret
 inquisivit. Ille respondit: Ad dominos terre congregatos cupio pervenire.
 Insuper faber dixit: Ascende equum ad me et te ducam ad eos, quo
 dona poteris obtinere. Zalchart dixit: Timeo de vigella^{a)}). Faber dixit:
 Da michi vigellam. Qui porrexit et ad eum super equum velociter
 ascendebat. Cum autem ascendisset, equus cum eis velociter succurrebat^{b)}
 et viam suam versus montem dirigebat, qui se statim apperuit et ibi simul
 intraverunt. Ibi invenerunt multos dominos et alios potentes dominos
 mortuos et illi omnes eum ex nomine salutabant. Erant eciam, ut sicut
 sibi videbatur, induti sicut olim hic in terra vestibus preciosis. Et inter
 hos vidit dominum Rûdolphum filium Rûdolphi regis Romanorum, qui
 dux Alsacie dicebatur. Plures autem ex his dominis venerunt ad eum atque
 supliciter invocabant dixeruntque: Rogamus te quatenus ad uxores et
 amicos nostros vadas dicasque eis, quod simus in penis maximis constitui.
 Unus dixit: Talem rem predatus sum. Dic, ut restituatur, ne et ipsi in
 locum hunc veniant tormentorum. Alter dixit: Talem rem per usuram
 contraxi. Facias, ut restituatur. Comes vero de Habsburg dux Alsacie
 dixit: Dic heredibus meis, ut rem talem (quam nominavit) restituant.
 Zalchart dixit: Quid michi dabitis inter signum? Tunc percussit eum
 solum duobus digitis super collum, qui dolore^{c)} corripitur in instanti.
 Ille Rûdolphus filius Rûdolphi regis dixit: Dic patri meo regi, quia in
 brevi morietur et in locum hunc veniet tormentorum. Postea interrogavit
 vigellatorem Zalchart: Quomodo tu huc venisti? Qui dixit: Faber hic
 me adduxit et dona plurima principum^{d)} promittebat. Rûdolphus dux
 dixit: Hic demon est et tortor dominorum, qui nos multipliciter affligit.
 Quotidie enim ab eo igne et sulphure pascimur et potamur. Zalchart
 domino dixit: Ubi ergo estis? Dominus dixit: In inferno. Mimus
 Zalchart interrogavit: Quare ergo ego non pacior penas inferni et
 quare vos non video patientes? Respondit dux: Quamdiu vivis in corpore,
 non poteris videre penas nostras nec sentire nec credere patienti.
 Zalchart dixit: O Domine, rogo vos supliciter, quatenus me ab hac
 societate pessima liberetis. | Qui dixit: Nullus nostrum fol. 193v

a) *Hs. figella*

b) *Erster Teil des Wortes (succ) in der Hs. durch Tintenflecke unleserlich*

c) *Hs. dolori*

d) *Hs. principi*